



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 237. An bona sæcularia possint fieri Ecclesiastica sine licentia Principis sæcularis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

constitutos gaudere his privilegiis, si observent reā
quisita à *Trid.*, imò et si non observent, uti putat
Mol. Tom. 3. tr. 2. d. 270. n. 5., tamen *Less.* l. 2. c.
33. n. 38. rectè dicit nunc per consuetudinem & Ec-
clesiæ consensum ad illos, si Ecclesiæ non deserviant
nec beneficiati sint, non ampliùs ea pertinere. Videri
potest etiam *Delb.* c. 1. d. 5. s. 2. & seqq.

1385

Q. 237. *An bona secularia possint fieri Eccle-
siastica sine licentia Principis secularis. R.*

§. 1. *Negant Caram.* & pauci alii: ut probent,
Supponunt seqq. 1. *Dominium* esse quadruplex,
Proprietatis, quod habet Petrus, cuius est fundus:
Potentiale, quod habent omnes, qui fundum illum
accipere possunt per donationem vel emptionem,
quales sunt Principes ac concives regni. *Jurisdictionale*,
quod habet Princeps, in quantum præest gu-
bernationi per leges. *Politicum* sive extraordina-
rium, quod habet etiam Princeps, in quantum habet
jus disponendi de rebus privati, quando ita expedit
ad bonum commune. 2. Bona tunc dicuntur cade-
re in manum mortuam, si fiant impostero inalie-
nabilia, & ex illa manu redire non possint, hinc
amortisatio bonorum est actio, per quam bona ca-
dentia in manum mortuam fiunt inalienabilia. 3.
De consensu Principis utentis dominio politico pos-
sunt bona fieri inalienabilia & amortisata, quamvis
privati per hoc priventur dominio potenti. His
suppositis,

Statuunt seqq. 1. Stando jure naturæ non potest
fundus secularis fieri Ecclesiasticus; rationem dant,
quia Petrus non potest dare Ecclesiæ vel cuicumque
alteri, nisi dominium proprietatis, hoc enim solum
est ipsius, dominium autem potentiale, jurisdictionis
& politicum, quibus subduceretur ille fundus, si fie-
ret Ecclesiasticus, non est Petri, sed vel privatorum
vel

vel Principis, ergo Petrus non potest illud sine licentia Principis transferre in Ecclesiam. 2. Nec id fieri potest stando jure Ecclesiastico, quia per Canones & per omnem potestatem Ecclesie non est licitum rapere alicui sua & dare Ecclesie. 3. Sufficit Principis licentia olim concessa, si non sit revocata aut moraliter esse desierit, hanc enim concesserunt *Constant. Magnus* & aliqui alii Monarchæ, uti notat *Dian. p. 1. T. I. R. 14. & p. 4. T. 1. R. 57.*, non tamen omnes alii Principes, uti habet idem *Dian. p. 6. T. 3. R. 1. & 10.*, possuntque reliqui revocare. 4. Ad amortificationem non juvat legalis præscriptio, nam si leges sint sæculares, his non debent judicari, qui ipsis non sunt subjecti, & leges sæculares de præscriptionibus non juvant Ecclesiasticos; si autem leges sint Ecclesiasticæ, habent disponere tantum circa res Ecclesiasticas sibi subjectas, non autem circa sæculares, ergo. Ex his

Infert Caramuel, si v. g. domus aliqua sine licentia Principis dedicetur Deo, 1. Christus sit Dominus solius proprietatis, Papa autem pro dominus five Vicarius & administrator etiam solius proprietatis. 2. Singuli concives non ideo perdunt jus potentiale in illam domum, nec Principes jurisdictionale vel politicum. 3. Talis domus non habet jus asyli, quia hoc esset contra jurisdictionem Principis. 4. Manet talis domus sub jure etiam politico Principis. Hæc sunt principia & fundamenta adversariorum, sed

§. II. Omnino tenendum est posse bona sæcularia fieri Ecclesiastica sine licentia Principis, ita *Dian. p. 5. T. 3. & Carden. in 1. crisi d. 61. c. 2. & seqq.* Ratio est, 1. Quia si fundamentum adversariorum sit verum, ergo similiter facit injuriam Principi & concivibus, qui sine licentia se & sua bona transferre

1386

ad aliud regnum; item qui bovem suum mactat aut vendit extero, quia sic privat concives suos jure potenciali, & Principem jurisdictionali ac politico: item facit injuriam, qui sine licentia Principis fit Religiosus, quia se subducit dominio jurisdictionis. Si dicas, hos jure Divino eximi à jurisdictione sæculari, uti & Clericos: R. Idem esse de bonis, si transeant ad Ecclesiam, uti habetur Cap. *Quanquam*, de censibus in 6., & docent cum communi *Suar.* in defens. fidei l. 4. c. 9. *Bonac.* in Decal. d. 10. q. 2. p. 1. §. 1. n. 2. *Diana* p. 6. t. 3. R. 2., & p. 1. t. 2. R. 1. Potuisse autem etiam Papam dare hanc exemptionem Clericis, independentem à Principibus sæcularibus, certum est, nam Cap. *Quanquam* suprà, Cap. *Noverrit*, Cap. *Gravem*, de sent. excom., Cap. ult. de reb. Eccl. non alien., sub censuris præcipiunt Principibus observantiam hujus exemptionis: hinc etiam *Trid.* Ses. 25. c. 20. de Ref. ait, *Ecclesie & Ecclesiasticarum personarum immunitatem Dei ordinatione & Canonicis sanctionibus constitutam esse: cujus ratio est; quia omnino indecens fuisset Clericos, qui Deo specialiter dicati sunt & constituti sæcularium Judices ac Vicarii Christi in ordine ad administranda illis Divina, eorum potestati subesse, hinc Cap., Ecclesia S. Mariae, de Constitut. dicitur, ut statutum etiam in favorem Ecclesie factum à laicis motu proprio nullius firmitatis existat, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum, quia eis super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas non auctoritas imperandi.* 2. Privati laici & Principes non habent jus ad illud, quod esset in magnum detrimentum Reip. Christianæ, sed si haberent jus, ut bona Ecclesiastica manerent semper alienabilia, hoc esset in magnum detrimentum Reip. Christianæ, ergo.

ergo. *Prob. min.* Effet in magnum detrimentum Reip. Ecclesiasticæ, ergo & Christianæ, cujus præcipua & nobilior pars est Ecclesiastica, utpote à qua est doctrina salutis, absolutio à peccatis, Sacramento- rum administratio, sacrificiorum oblatio, aliaque ministeria spiritualia. *Ant. prob.*, nam *Pius V.* in motu proprio, *Etsi de singulis*, De recuperatione bonorum Ecclesiasticorum malè alienatorum, ait, *Nos præmissa cõniventibus oculis pertransire neque- untes, utpote quæ in Divina Majestatis offensam ac Ecclesiarum & Ordinis Clericalis detrimentum ten- dant.* Item *Trid. Sef. 25. c. 14.* de Ref. agens de alie- natione bonorum Ecclesiæ ait, *magnam Ecclesia pernitiem afferre solet*, quia nempe, cùm Cleri- cis non conveniat, ideoque prohibeatur negotiatio, alienatis tandem bonis omnibus destituerentur ne- cessariis, sicque paulatim interiret Status. 3. Jus illud potentiale est inutile, ergo non datur. *Prob. ant.*, quamvis omnes eo jure cederent, nihilominus pos- sent ea bona acquirere, si id permetteret Papa, uti potest, & Ecclesiastici vellent alienare; Econtrà si Papa prohibeat, acquirere non possunt, ergo. 4. Jus illud privatorum & Principum circa bona Ecclesiæ condemnat Sacros Canones de rebus Ecclesiæ non alienandis; Item decretum *Vrb. VIII.*, de quo *Pelliz. T. 1. Tr. 6. c. 8. n. 3.*; Item *Constit. Pii V.* revocantis omnes licentias alienandi; Item *Conc. Trid. Sef. 25. c. II.*, ergo certissimè est nullum. 5. Si in illis, qui capaces sunt talia acquirere, daretur jus potentiale, ut talis res maneret alienabilis, ergo jus majoratum, quod Reges stabilierunt in Hispania; Item jura similia in aliis regnis, essent iniqua, quia essent contra jus potentiale reliquarum nationum, quæ illa acquirere non possunt, quamvis de jure na- turæ sint capaces, nec subjiciantur legibus istorum

regnorum, quod tamen est contra communem sensum omnium. 6. Testator, sicuti potuit nunquam velle alienare fundum, ita potest disponere, ut nunquam alienetur, sed semper maneat suæ familiæ annexum, ultimæ enim voluntates servari debent de jure naturæ & gentium, secluso quovis jure positivo, inquit rectè *Mol. de Justi. d. 124. in fine*, si autem daretur jus potentiale, non posset testator ita disponere de illo fundo, quia singuli concives privarentur jure suo potenciali, ergo.

1387 §. III. Ad rationes n. 1384. allatas, *R. ad 1.* Dominia illa, potentiale, jurisdictionale & politicum, sunt tantum conditionata, & tunc tantum existunt, quamdiu bona manent sub potestate civili; cum quo stat, quod ad alium statum transire possint ac fieri exempta, uti patet in exemplis hominis ingredientis Religionem aut se & sua transferentis ad aliud regnum. *Ad 2.* Patet ex dictis nihil rapi alienum, cum enim desinunt circumstantiæ subjectionis, etiam desinunt ista jura Principum & privatorum. *Ad 3.* Licentia illa non est necessaria; & si necessaria esset, secundum principia *Caramuelis* nihil juvaret Ecclesiam, quæ non est subdita laicis, & consequenter ab eis non potest accipere licentiam, sicuti *Ad 4.* affirmat *Caramuel*, leges civiles non posse favere Ecclesiasticis, qui legibus civilibus non subjacent; quæ tamen doctrina falsa est, uti ostendimus l. I. n. 680.

1388 §. IV. Illationes *Caramuelis* n. 1385. relatæ non tenent, & quidem 1. 2. & 4. falsa est, quia si domus Deo dicata, cujus Christus habet dominium proprietatis, maneat subiecta Principi laico, ergo Princeps laicus exigente utilitate civili potest de ea disponere, etiam invito Christo; Item manebit subiecta gabellis, adeoque Christus erit tributarius Principi laico. *Si dicass*, eadem valere, si bona maneant subje-

subiecta dispositioni Papæ, *Contrà* est, Papa est tantum Vicarius Christi, & pro Christo est Dominus, ergo potestas illa Papæ non potest præjudicare Christo. 3. Etiam planè falsa est, nam talis domus Deo consecrata venit nomine Ecclesiæ, Ecclesia autem habet jus asyli, uti dicitur à n. 1392.

Obiicies. Bona transeunt ad Ecclesiam cum onere reali censûs, feudi vel hypothecæ, ergo etiam cum onere gabellarum, item cum subiectione ad jus potentiale, jurisdictionale & politicum laicorum. *R. N. conseq.*, Ecclesia non prohibuit priora onera remanere: *E* contrà prohibuit posteriora tanquam opposita immunitati & reverentiæ debitæ statui Ecclesiastico.

Q. 238. An statutum prohibens, ne bona stabilia donentur aut vendantur Ecclesiis, sit iniquum, secluso privilegio. R. 1389

§. I. Negat cum quibusdam politicis *Caram.*, quia tale statutum videtur esse pro conservando jure potenciali singulorum, & jurisdictionali ac politico Principum, secundum dicta n. 1383. Opinioni illi præfuserunt *Ioannes VVicleff* & *Ioannes Huf* damnati à *Martino V.* in *Conc. Constant.*, qui inter cætera dixerunt esse contra Scripturam, quòd Ecclesiastici habeant possessiones; graviter peccare eos, qui fundant claustra eisque attribuunt immobilia; Papam cum suis Clericis esse hæreticum, eò quòd possessiones habeat; *Augustinum*, *Benedictum*, *Bernardum* esse damnatos, eò quòd possessiones admiserint; *Constantinum M.* errasse, eò quòd Ecclesiam ditaverit. Idem tenuerunt anabaptistæ Monasterii Westphaliæ, ubi facto plebi-scito vetuerunt, ne Clerici aut Religiosi ulla bona immobilia ad Ecclesias vel Monasteria transferrent, quod tamen postea anno 1569. Status patriæ & Episcopus *Ioan-*